



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XIX. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Joannes calybita statim in scholis primis Mariæ Virginitatem imitari constituit, ejus tuendæ causâ è domo paterna profugus, iterum redux, novus Alexius in domo Patris incognitus, à Matre malè habitus latuit, qui Matrem in cœlo tantò amplius venerabatur, quantò hanc in se minùs humanam est expertus. *Mayr.* Mature inchoandus est illi cursus, qui multùm vult proficere.

S. Joannes ora pro me Deiparam, ut ejus virtutum imitationi ex toto addictus, ita per has vitæ calamitates transeam, ut notus Deo, ignotus mundo, quin & despectus eò per bonam mortem, perveniam, ubi nulla amplius erit necessitas, nullus metus. O Sanctissima Dei, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Aureo sacro *Reverate* honori Mariano interesse conabor.

Gratiâ & dulcedine tuâ ô Maria! pleni sunt cœli & terra, undique beneficiis tuis irretiti nos semper. *S. Bonav. p. 34.*

Quæstio: An B. Virgo Christum in domo Josephi habitans conceperit? *v. Bar. tr. 1. l. 8. c. 5.*

XX. DECEMBRIS.

S. Dominicus Abbas, quia castitatis studio ac tenerâ devotione Deiparam sibi demereri constanter studuit, in pietatis suæ præmium coronam sibi è cœlo missam donò accepit. *Nad. an. Cœl.* Nulli ea Mariam, ut decet, colenti emanabit. S. Do-